Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1249
Quelle:
Copyright:

zaniam. Prooemium orditur: *Ad intellectum tabule compilate ad opus beati Thome de Aquino sciendum est quod tabula remittit primo ad summam Theologye* &c. Atque haec *Tabula* rudimentum fortasse fuit amplissimae illius, quam condidit *Petrus de Bergomo* O. P. quaeque primum typis *Balth. Azzoguidi* prodiit *Bononiae* 1475. saepius deinceps recusa, ut habes T. I. *Scriptt. Ord.* p. 864. Monet *Quetifus b. l.* in Edit. *Rom.* 1570. conditorem *Tabulae Petrum* perperam dici mortuum a. 1484. pro 1482. Sed is, siquidem error est, jam in antiquioribus exemplis, puta *Venet.* 1497. legitur.

DL.

U. 291 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 227. f. per duas columnas sat bene exaratus, rubricis decoratus, et, ut praenotatur, a. 1428. Collegio Ducali addictus testamento M. *Theodorici de Hamelburgk* S. T. D. qui nobis non semel memoratus eum teste *p. ult.* a D. *Johanne Deyssenhusen* anno 1421. emerat, ita minio inscribitur: *Incipit Summa de theologia edita a fratre fratre thoma de aquino prima pars.* Et ad calcem: *Explicit liber primus summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum Magistri in theologia.* Operis hujus notissimi Historiam lit. criticam habes in *Scriptoribus Ord. Praed.* T. I. p. 290. In Edit. *Opp. Thomae Rom.* 1570. f. occupat *Tomos* X. XI. XII. Prodiit vero seorsim cura *Job. Nicolai* ejusd. Ord. *Paris.* 1663. f. cui Editioni comparatum praesens Exemplar recte habere comperi. Initium est: *Quia catholice ueritatis doctor non solum prouectos debet instruere* &c. et Finis: *talis enim partus decebat eum qui est super omnia benedictus deus in secula amen.* Praevius *Quaestionum* et *Articulorum* Index capite mutilatus est.

DLI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 665 XIV. Folior. 182. f. per duas columnas luculente scriptus et coloribus distinctus aliud Exemplar est ejusdem Operis praevio Indice alphabetico et Titulorum, ad quorum calcem: *Expliciunt tituli prime partis summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum*, et ad calcem totius: *Corpus scriptoris seruet deus omnibus horis. Explicit prima pars Summe fratris th. de aquino predicatoris. in qua continentur Distinctiones 119. questiones autem* 584.

DLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 292 Folior. 338. f. per duas columnas nitide scriptus, et rubro distinctus aliud Exemplar est *Partis I. Summae* theologicae D. *Thomae Aquinatis*, et ipsum integrum, nisi quod ad calcem exciderint Indicis contentorum Extrema. Nulla vero in toto Codice Autoris mentio.